

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,  
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,  
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617819**

Caput CXII. Christus Ad Herodem Abducitur Inqve Aula Ipsius Irridetur.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17617**

## CAPUT CXII.

CHRISTUS AD HERODEM ABDUCITUR INQUE  
AULA IPSIUS IRRIDETUR.

LUC. 23. v. 5.

## RATIO ORDINIS.

**C**um audirent Pontifices, Pilatum Christo publicum innocentia testimoniū dare, non desistunt à suo proposito, sed repetunt accusationem seditionis, quam confirmant hoc argumento, quod Christus ex Galilæa oriundus in Galilæa primum docere coepit; jam vero ex anteactis notum esse, Galilæos ad seditionem maximum proclives esse. Pilatus igitur innocentem esse Christum agnoscens, interim tamen odia Pontificum absolutione illius sibi conciliare recusans cogitat viam sibi monstratam esse commodam devolvendi odiosam hanc Christi causam ad forum alterius, videlicet Herodis, qui erat Galilæa tetrar-

cha, ideoque ad ipsius judicium videbatur causa hominis Galilæi propriè pertinere. Hac occasione mittitur Christus ad Regem Herodem, qui propter Paschatis festum Hierosolymis eo tempore agebat, quam abductionem Christi ad aulam Herodis solus Lucas describit, neque quicquam apud Evangelistas reliquos occurrit, quod in serie narratio- nis illi præponi commodè possit. Quod enim collatio Christicum Barraba, ejusque flagellatio huic Historia subjungenda sint, colligitur ex eo, quod Pilatus in explicatione hujus sui consilii ad iudeos dicit: *Misi vos ad Herodem & ecce nihil morte dignum datum est ei, emendatum ergo sive castigatum illum dimittam* Luc. 23. v. 15, & 16.

CHRISTI AD HERODEM ABDUCTIO, EJUSDEMQUE  
IN AULA HERODIS ILLUSIO.

LUC. 23.

5. Οἱ δὲ χιερεῖς ἤπειρον, λέγοντες ὅτι αἰαστέοι τὸν λαόν  
οδούσκων καθ' ὅλης τῆς Ιudeᾶς δέξαμεν. Καὶ στὸ τὸ<sup>5</sup>  
Γαλιλαῖος ἦν ὁ ὄδε.
6. Πιλάτης δὲ αὐτοὺς Γαλιλαῖους, ἐπηρώτησε, εἰ ἐσθρω-  
πτος Γαλιλαῖος ἔστι.
7. Καὶ ἤπειρος ἦν ἐν τῷ ἔβορειος Ηρώδειος ἐτίν, αἴσπερμψεν  
ἀντρὸν τοῦς Ηρώδειος, οὐδὲ ηὔχαντὸν τὸν Ιερουσαλήμοις  
ἐν τῷ ταχὺ πάσι ηὔχαντος.
8. Οὐ δὲ Ηρώδης ιδὼν τὸν ἤπειρον ἐχαρηλιαν, λινὸν δὲ θέλων ἐξ  
ικανῶν ιδεῖν εἰν τὸν Αἰγαῖον, οὐδὲ διενθετὸν πολλὰ τοῖς αὐτοῖς, καὶ  
ἥλπεν οὐκεῖν ιδεῖν τοῦτον αὐτὸν γάνωδρον.
9. Επηρώτησε δὲ ἀντρὸν τὸν λόγον εἰκανοῖς αὐτὸς δὲ γένει αἴπειρ-  
νατὸν αὐτῷ.
10. Εἰσῆκεσσοι δὲ οἱ δέχιερεῖς καὶ οἱ χραμματεῖς εὐτόνως κα-  
τηρροῦνται αὐτῷ.
11. Εξεθειητας δὲ αὐτῷ ὁ Ηρώδης σω τῆς γρατεύμασιν αὐ-  
τὸν καὶ ἐπορχεῖται τοῖς ιερούσαλαμ αὐτῷ εἰσθῆται λαμπτεῖν αὐτό-  
πεμψεν αὐτὸν τῷ Πιλάτῳ.
12. Εὐθύνεται δὲ Φίσιος, τοῦ Πιλάτου, καὶ ὁ Ηρώδης εἰς αὐτὴν τὴν  
ηὔχαντα μετ' αὖλήλων, τοῖς οὐπέρχον τὸν τοῦτον ἐχθρὸν οὐτε  
τοῦτο οἴοντο.
5. At illi (summi Sacerdotes) invalecebant dicentes, com-  
movenet populum, docens per universam Iudeam ex-  
orsus à Galilæa utq. ad hunc locum.
6. Pilatus autem auditā mentione Galilæa interrogavit,  
num homo Galileus esset.
7. Et ut cognovit, quod ad Herodis ditionem pertineret, re-  
misit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat  
per id tempus.
8. Herodes autem viso & Iesu gavissimo est valde. Tenebatur  
enim multo jam tempore cupiditate videndi illum,  
eo quod audiret multa de illo & p̄metebat se signum  
aliquod vījurum ab eo fieri.
9. Interrogabat autem eum multis sermonibus, ad ipse-  
m illi respondebat.
10. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribe acriter  
accusantes eum.
11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitibus suis, cum  
illūsset, indutum ueste splendida remisit illum ad  
Pilatum.
12. Et facti sunt amici inter se Pilatus & Herodes in co-  
dem die, nam antea similitas inter eos intercesserat.

## Exegetis hujus Historiae.

Quod discipulis suis prædictit Christus Matth.  
10. v. 17. & 18. *Tradent vos in Concilia & in  
Synagogis vestris flagellabunt vos, & ad Praesides ac Re-  
ges ducentini propter me, id in seipso omnium piorum*

Confessorum Magistro ac capite prius experiri  
voluit, siquidem in Historia passionis traditus  
primum fuit in Concilium Sacerdotum, deinde  
ductus ad Praesidem Romanum, tandem etiam  
ad Re-

ad Regem Herodem, quod factum ab hostibus sine potissimum eo, ut in publicum contemtum apud omnes adduceretur, sed converla rerum facie mirabilis Dei providentia contigit, ut Christi innocentia, quod majoribus criminibus apud diversos judices oneraretur, eò magis in lucem prouumperet, sicut herba quod magis teritur, eò suaviorem odorem spirat. Consideranda autem fuit in hac peri cope,

I. *Occasio deductionis Christi ad Herodem.* Summi Pontifices cum audirent publicum innocentiae testimonium Christo à Pilato Præside dari, ac metuendum viderent, ne dimitteretur liber, denuò urgent accusationis suae capita & silentium Christi pro se interpretantur, quod ad objecta crimina folide respondere nequeat, ac proinde tacere malit, quam quicquam pro se dicere. Silebat Christi innocentia, sed non silebat Pontificum impudentia, invalecebant enim, dicentes; *Commovet populum docens per universam Iudeam exorsus à Galilaea usque ad hunc locum, ἐπιχειρεῖν significavit vires sumere, invalescere ἐπιχειρεῖν εἰς manū prævalere & robustum esse Eccles. 29. vers. 1. ἐπιχειρεῖν ἀπλοὶ νέοι ἀνατελέσθησθαι armis & viribus I. Maccab. 6. vers. 6.* Videbatur improbitas Pontificum publico. Præsidis de innocentia Christi testimonio superata & devicta, sed illi magis roborant se armis impudentia, mendaci & calumnia. Ac quia verbum ἐπιχειρεῖν & ἐπιχειρεῖν etiam in significatione activa usurpatur, ideo per τὸ ἐπιχειρεῖν Evangelista inuit, quod violento quodam impetu Pilatum adorti fuerint & vini quasi intulerint ipsi suis accusationibus, quam enim autoritatem Pontifices gradu dignitatis, Pharisæi autem opinione sanctitatis obtinuerint, notum est ex Josepho lib. 18. antiqu. Judaic. cap. 2. & lib. 1. de bello Judaico cap. 4. Syrus habet verbum πνευματικῶς, acclamavit. Sentus igitur est, quod clamoribus impetrare voluerint illud, quod rationibus obtainere non poterant, sicut solent importuni accusatores veris probationibus destituti, inconditis clamoribus judicem obtundere. *Commovet, inquit; populum docens per universam Iudeam exorsus à Galilaea usque ad hunc locum, ἀνατελέσθη concutere, conturbare, item persuadere, concitare, ac peculiariter de terræ motu sive concussione usurpatur. Suidas exponit per ἐπωνύμων αὐτοῖς οὐδὲ μάχην ἐπείζειν ad pugnam incitare.* Syrus habet verbum πνεῦ in Piel, turbavit, cum tumultu quodam commovit, adversus alterum conjunxit, quo verbo utitur Thargum. Exod. 14. vers. 24. de turbatione facta in castris Egyptiorum ac Jerem. 5. 1. vers. 7. de seditionis tumultibus gentium. Hoc igitur sibi volunt suā accusatione Pontifices, quod Christus novis ac seditionis doctrinis populum in Galilaea & Iudea commoverit. In verbis διεργάθει τὸ Γαλιλαῖον εἴως εἰς ἑδεῖν. Nam post Γαλιλαῖον splendendum νέον προρεῖν regni pergens. Similis ellipsis occurrit Math. 2. v. 26. Qui statuunt, Christum non solum seditionis, sed etiam hæreses coram Pilato fuisse accusatum, dicunt, Pontifices hoc loco accusationem de hæreſi prætermittent, cùm intelligent Pilatum non, affici religionis curā, & seditionis crimen denuò urgere. Sed quia ostendimus superiori, omnia accusationis capita eò spectate, quod seditionis & affectati regni Christum,

volverint reum peragere, ideo simpliciter dicendum, quod accusationem de seditione denuò repant & inculcent. Omnia vero ad invidiam singularis Christo concitandam fuerunt comparata. Non dicunt in præterito concitat populum, sed in præsenti concitat, ut intelligendum relinquant non de uno solum seditionis actu Christum accusari, sed totam illius vitam fuisse seditionem, quod per omnem vitam nihil aliud egerit, quam quod seditiones concitarit. Et quia Christus doctrinā suā peculiarem autoritatem apud populum sibi comparat, cuius rei fama procul dubio ad Pilati aures pervenerat, ideo illud ipsum, quod vel gratiam vel veniam apud Præsidem ipsi conciliare poterat, in ipsius perniciem vertunt, quando mentiuntur ad seditiones tantum spectasse doctrinam. Addunt insuper, quod Christus non uno loco docuerit, sed per totam Iudeam more seditionis Pseudoprophetarum virus suum sparserit. Ipsa quoque Galilæa mentione Præsidis animum vellicare Christo adversum reddere cupiunt. Galilæi enim præceteris proclives erant ad seditionem & jugi Romani impatientes. Luc. 13. v. 1. mentio fit quorundam seditionis Galilæorum, quorum sanguinem miscuerat Pilatus cum sacrificiis. Actor. 5. v. 37. mentio fit Judæ Galilæi, qui in diebus Σατανᾶς averterit populum & hoc nomine cum omnibus factiōni suā addictis extinctus sit. Totam Historiam hujus seditionis Galilæi ex oppido Gamala oriundi plenius describit Josephus lib. 18. antiqu. Judaic. c. 11. Potest etiam cogitari, quod Galilæa appellatio nō onus probandi a se rejicere velint, siquidem Galilæa in extremis terra Judaicæ partibus fuit sita, gentium regionibus vicina, unde etiam vocatur Galilæa gentium. Matth. cap. 4. vers. 15. hoc ergo volunt dicere. Si nondum aliquid intellexisti de seditionis ipsius molitionibus, id inde est, quod in Galilæa primum docere cœperit. Jam vero Hierosolymam usque Iudeæ metropolim progressus est, quam ante paucos dies ingressu suo regio non mediocriter commovit, eò enim potissimum collimare Pontifices inde colligitur, quod Matthæus testatur, *commovet fuisse totam civitatem, cùm Christus intrasset Hierosolymam ἐπειδὴ πάλαι πόλις cap. 2. 1. vers. 10.* ubi idem verbum σειν usurpatur, quod Pontifices hoc loco repetunt. Poterant etiam accusationi suā colorē aliquem querere ex eo, quod Christus in Galilæa educatus initium prædicatiois suā in ea fecerat, eamque totam prædicatiois suā pertransierat. Luc. 2. vers. 5. 1. descendit cum parentibus suis in Nazareth urbem Galilæa, in qua educatur. Matth. 17. vers. 27. solvit didrachma Capernaumi, in qua videtur habuisse jus civitatis, unde vocatur ipsius Ἰδα πόλις Matth. 9. v. 1. Educatus in Galilæa per triginta annos initium prædicatiois suā in ea faciens primo statim ministeri anno circumivit totam Galilæam docens in Synagogis & prædicans Evangelium regni. Matth. 4. vers. 23. paulò ante passionem, cum proficeretur Hierosolymam transiit denuò per medium Samariam & Galileam. Luc. 17. vers. 11. inde discipuli ejus vocantur Galilei Joh. 7. vers. 52. quia Apolto plerique omnes ex Galilæa erant oriundi. Cur vero Samariæ non meminerunt? vel nomen Iudeæ generaliter usurpant pro tota regione Iudeorum, que etiam Samariam complectitur, unde notanter dicitur

cunt καὶ ὅλης τῆς Ἰudeᾶς, Galilæa verò mentionem faciunt in specie, quia in ea maximam vitæ ac ministerii partem translegerat, vel odio illius populi nullam Samariæ mentionem faciunt Luc. 9. v. 53. Joh. 4. v. 9. Sed nec fines gentium, in quibus itidem Christus docuerat, exprimunt, quia velut in transitu & brevi tempore ibi docuerat. Proponitur autem in hac Pontificum accusatione denuo repetita exemplum impudentiae hypocritis propria. Pilatus vir eximia prudentia & judicij acerrimi Christum, innocentem pronunciaverat atq; ab intentatis criminibus ipsum absolverat, sed Pontifices nihilominus mendacissimam suam accusationem professantur. Testes contra Christum producti falsitatis convicti erant, sed Pontifices conficta illa criminis nihilominus urgent. Illi ipsi erant, qui seditionem in populo concitatabant disputantes in Synagogis suis, non licere tributum dare Cæsari, utpote Magistrati extraneo Matth. 22. v. 17. quinimo eâ ipsâ horâ populum concitabant contra Christum. Marc. 15. v. 11. ἵνα προσέργειαν εστιν τὸν ὄχλον, ubi ad eam voce Evangelista utitur, quam hoc loco Christum proferunt, nihilominus non verentur culpam hujus criminis in Christum mendacissime conferre. Eadem adhuc hodie fortuna est doctrina Christi, quam Evangelicam vocare solent. Accusatur seditionis, cum Magistrati obtemperante doceat & publico summum Magistratus judicio in Imperio Romano sit recepta, quod nunquam fuisse factum, si eam esse seditionem statuissent. Tumultus per Evangelii prædicationem excitatus nequam tribuendus est ipsi doctrinæ vel præconibus ac confessoribus ejus, sed pertinaci & insanabili hominum malitia, qui veritati cœlesti resistunt, ejusque oppressionem querunt. Christus erat mansuetus, obediens, humilis, doctor veritatis, idem tamen disertè pronunciat Luc. 12. vers. 51. πατέτω, quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem, v. 52. erunt enim ex hoc quinque in domo unâ divisi tres in duos, & duo in tres &c, cuius separationis ac dissensionis causam qui ipsi doctrinæ tribuere vellet, in Christum pacis autorem ac Principem injurijs foret, unicè igitur tribuenda est hostium malitia & morbo animi, quo detinentur. Neque enim aliter doctrina Evangelii turbat populum, quam pharmacum turbat corpus vitiosi humoribus repletum, quod totum intereat necessitas est, nisi talis concusso ad salutem ipsius fiat. Ceterum quamvis haec Pontificum accusatio esset mendacissima & impudentissima, tamen novæ ignorantiae & passionis Christo fuit materia. Pilatus enim auditâ Galilæa mentione interrogavit, *num homo ille réus esset Galileus?* Ut cognovit, quod ad Herodis dictiōnem pertineret, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat per id tempus, εἰ δὲ ἦσατ οὐ Γαλιλαιός εἴη ambiguum dictum, potest enim ἦσατ οὐ pertinere ad subjectum & prædicatum questionis. An hic domo sit Galileus, vel an hic sit homo Galileus, sed articulus additus ostendit nomen ἦσατ οὐ δειπνως & hoc loco subjecti esse positum. Cum enim Christum designet, tamen velut ignotum generali hominis appellatione intelligit: quicquid sit, res eodem recidit. Refert autem Pilatus ingenium illorum qui causas odiosas a se in alios devolvunt, ne hominum odia incurrire cogantur. Perspecta erat Pilato Christi innocentia, cui etiam publicum

dederat præconium, videbat insuper Pontifices immani quodam odio contra Christum flagrare, ipsiusque mortem cupidissimè querere, ne igitur cogeretur vel contra conscientia sua testimonium Christum innocentem condemnare, vel Pontificum odia in se derivare, ideo politica quadam prudentia usus ad Herodis tribunal reum alegare cogitat, ut si non posset Jesum liberare, saltrem ipse à causa liberaretur. Videbatur sibi hac ratione optimè consulere, nam nec contra conscientiam agere, nec Pontificum favorem effundere cogebatur, videbatur etiam causas consilii sui honestas & sufficientes habere, quia Herodes erat religioni Judaice addictus, ergo poterat rectissimè de doctrina judicare, qua hæreseos & seditionis erat accusata. Idem in Galilæa habebat εἰδοτιαν, ergo ad ipsum pertinebat causam hominis Galilai cognoscere. Poterant insuper hac honoris significazione sopia simulantes, quæ erant inter Herodem & Pilatum, ergo Christus omnino videbatur ad Herodem alegandus ac singulari prudentiae tribuendum, quod Pilatus Christum eō alegare cogitat. Sed si rem ipsam iuxta veritatem trutinam expendere velimus, apparabit, Pilatum in hocsum consilio & proposito gravissime peccare, siquidem detrahit autoritati Imperatoris sui captivum hunc ad Herodem transmitendo, cum ageretur de judicio hominis, educatione quidem & habitatione Galilæi, in Iudea tamen apprehensi & judicari; innocentis insuper sanguine Pontificum & populi Judaici gratiam mercatur; ius queritur ab eo, qui publicis flagitiis & crudelitate erat infamis; Christum, cuius innocentia ipsi probœ cognita & perspecta erat, novis periculis in aula Herodis expectans dis objicit, ac metu odiorum innocentem debito patrocinio distinxit, Ita solet politica prudentia nisi timore Dei fuerit contemporata, in extremam stoliditatem & maximum incommode desinere, perdit enim Deus sapientiam sapientum. Esa. 29. v. 14. I. Cor. 1. v. 15. Insistunt autem Pilati vestigiis, qui veritatem & confessores veritatis propter hominum odia sibi metuenda necessario patrocinio defituunt, qui causam innocentis falsi calumniis opprimi finunt, ut favorem Magnatum conservent, quorum hominum in aulis larga leges nascitur. Solet hoc politicae prudentiae specie venditari, sed Tullius ex luce Naturæ recte statuit, *elegi quandam injusitiam species, injuriam à proximo, cum possit ac debetas, non propulsare.*

II. Abducō Christi ad Herodem. Sic igitur Christus jubetur a Pilato abduci ad Herodem ac sequitur eum cohors Pontificum & totius populi, ut ex sequentibus intelligitur. Erant autem inimicius vel potius simulantes (quia magnates odia sua premere possunt) inter Herodem & Pilatum, quas hac oblatione captivi alicujus ex Galilæa oriundi Pilatus sospire voluit. Herodes Ascalonita senior, qui dicitur magnus, infans in Bethleemiticorum intersector, totam Iudeam generaliter sic dictam olim rexerat, cum verò post mortem ipsius de divisione regionis inter liberos convenire non posset, Imperator Augustus, coram quo litigabant, tamē instituebat divisionem, ut dimidia pars affignaretur Archelao, cuius mentio fit Matth. 2. v. 22. residuum iterum in duas partes dividebatur, quarum una Philippo, altera huic Herodi Antipætribuebatur. Postea vero Archelau sua Tyrannide

nide efficerat, ut ab imperatore in exilium relegatur & in locum ipsius constituerentur Praesides, qui Iudeam specialiter sic dictam & Samariam administrarent, Galilæa huic Herodi Antipæ relicta. Haec erat prima odii inter Herodem & Pilatum Praesidem causa. Quod enim Pilatus in Iudea obtinebat, id videbatur jure hæreditariae successionis Herodi deberi: accedebat insuper alia, quod Pilatus sanguinem quorundam seditionisorum Galilæorum cum sacrificio miscens & hac ratione graviter in eos animadvertisens Herodis in Galilæa retracha autoritati detraxisse & in ipsius ditionem ac jura irruptionem fecisse dicitur Luc. 13. vers. 1. voluit igitur Pilatus animum ipsius mitigare, Galilæum quendam capitum reum ad ipsum alegando. Ceterum hic Herodes Antipas Galilæa tetrarcha Luc. 3. vers. 1. fuit professione quidem Judæus, sed interim crudelissimus & improbissimus hypocrita, abduxerat a fratre suo Philippo conjugem Herodiadem Matth. 14. vers. 3. cumque hoc nomine à Johanne Baptista, quem alias ut Prophetam reverebatur ac libenter audiebat Marc. 6. v. 20. publicè reprehenderetur, coniecit eum in carcerem, mox etiam decollari iussit Luc. 9. v. 7. Christus eum vocat *vulnus* propter hypocriticam calliditatem Luc. 13. v. 32. ex quo facilè intelligitur, quare Pontifices & Seniores tam facile consenserint judicium de Christo Herodi committi, noverant enim animum ipsius sanguinarium, quem decollatione Johannis manifelatum fecerat, in cuius necem ipsi met Pharisæi consenserant teste Hieron. in c. 17. Matth. Noverant hunc Herodem Christo infensum esse, propterea quod existimabat animam Johannis à leinterfecti in ipsum immigrasse Luc. 9. vers. 9. ideo spem certam fovebant, eundem crudelitatis gladium ab Herode in Christum fore acuendum, quem in Johannem Christi præcursum ac discipulum jam ante strinxerat. Accedebat etiam illud, quod Herodes eo tempore Hierosolymis subsistebat, erat enim natus Judæus Patre profelyto, ideo juxta legem divinam Ex. 23. v. 17. Hierosolymam ad celebrandam Paschatos festivitatem venerat, facile igitur concedebant Pontifices, Christum ad Herodem mitti, cum propterea non fuerit ipius in Galilæam usque proficendum, sed trecentorum quinquaginta gressuum iter in ipsa urbe conficiendum, hanc enim inter pratorium Pilati & aulam Herodis sufficere distantiā tradit Adrichomius in theatro terræ sanctæ num. 207. Sperabant denique in publicum apud omnes contemptum adductum iri Jesum, si per plateas urbis vinclitus ac ligatus per lectores ab uno tribunal ad aliud protraheretur. Sed nobis etiam hac in parte *ad manum & confitum Dei* respiciendum est Act. 2. v. 23. c. 4. v. 28. divini namque consilii dispensatione factum, ut ab omnibus tribunalibus Ecclesiasticis & Politicis, Romanis & Judæis, Prætoriis & regiis innocentia testimonium Christus referret atque immannis Pontificum, Scribarum & Seniorum malitia magis conspicua redderetur, ne qua Judæis remuneret excusatio. Ipse quoque Herodes Galilæa tetrarcha, qui & nativitate & religione Judæus erat, quid de Christo statuat, ostendere permisus est, ut uterque populus gentilis & Judæus, utraque etiam Palæstina regio, Judæa, in qua Christus erat natus, & Galilæa, in qua erat educatus, in necem ejus Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

consensisse monstrarentur. Iniquissimum profectò erat, judicium de Christo justitiae doctore & castitatis Magistro committi homini crudeli, sanguinario, incestuoso, callidissimo, hypocrita, Epicuræo &c. sed propter nos etiam hanc passionis partem sustinere voluit Jesus, ut ad tribunal in justissimi judicis pertractus ab accusatione justissima coram divino tribunali nos liberaret. Quamvis verò de hac Dominicæ Passionis parte non videantur expressa & specialia vaticinia extare, tamen si accuratè Scripturas expendamus, apparebit ne eam quidem partem in prædictionibus de sua passione esse à Christo prætermissem Matth. 17. v. 11. cum discipulis ex monte Galilæa, in quo transfiguratio facta erat, descendantibus Christus passionem & resurrectionem suam prædicaret, atque illi quærerent, cur ergo Scribae dicunt, quod Eliam oporteat prius venire, responderet illis Christus. Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecunque voluerunt, sic & Filius hominis passurus est ab eis. Ubi certum est, Elias nomine intelligi Johannem Baptistam, ita enim exponitur vers. seq. 13. de eo Christus dicit, quod fecerint in eo quaecunque voluerint, puta Herodes & Herodias, illorumque ministri, quando igitur subiungit, Filium hominis itidem passurum esse ὁ θεὸς ἀπόστολος illus, notanter significat hanc passionis suæ partem, quam in aula Herodis propter nos sustinere voluit.

III. Acta coram Herode. Herodes viso Jesu gaivisus est valde, tenebatur enim multo jam tempore cupiditate videnti illum, eò quod audierat multa de illo & sperabat se signum aliquod visurum ab eo fieri. Luc. 9. v. 7. commemoratur, quod Herodes tetrarcha post interfictum à se Johannem audiens omnia quae à Christo siebant, hæsitaverit διωρέος admirabundus, hæsitans ac dubius erat, eò quod diceretur à quibusdam, Johannem surrexisse à mortuis. Pharisæi teste Elia in Thisbi fovebant opinionem de μετεύψυχωσί Platonicæ, inde quidam ex populo statuebant, sanctam Johannem in justè interficti animam in Jesum Nazarenum miraculis illustrem immigrasse. Quidam verò existimabant Eliam iterum apparuisse, quidam aliquem ex veteribus Prophetis surrexisse. Herodes igitur pœnam sceleris sui metuens querebat Jesum videre, ut cognosceret an lineamenta faciei responderent, an esset ille ipse Joh. à se olim interfactus, sicut hunc suum metum coram ministris auxiliis non dissimulat, sed audiens famam de Christo disertè inquit Matth. 14. v. 2. Marc. 6. v. 16. Hic est Johannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, ideo virtutes operantur in ipso. Eō respicit Evangelista Lucas, quando dicit Herodem εἴ παντες μόλις jam tempore ac latissimam diu voluisse Christum videre, nimisrum à tempore decollationis Baptista & perceptæ de Christo famæ. Optabat Christum videre, non autem audire: optabat videre, ut cupiditatem animi res novas percipiendi exploreret, non autem optabat audire, ut ex doctrina & concionibus ejus proficeret. Audierat de Christo multa, quod coecis natis oculos, surdis aures, ac mutis linguis aperuerit, quod leprosos sanaverit ac mortuos resuscitaverit, inde sperabat, se quoq; miraculo quodam ludicro ac præstigiatorio à Christo honoratumiri, ut gratiam aulicam hac ratione auctoratus dimensionem suam impetrare posset, videns igitur Je-

sum ad se adductum natus ex eō impensè gaudebat, argue interrogabat eum multis sermonibus non quidem de necessariis & utilibus doctrinae cœlestis capitibus, sed de rebus frivolis, abstrusis & non necessariis. Suspicabatur Johannem in Christo revixisse, procul dubio igitur quæsivit de statu animalium post mortem, quando futurus sit mundi finis, ubi fuerit Deus ante mundi creationem, quid eo tempore egerit &c. quæsivit an esset puer ille, in cuius nativitate nova stella emicuerit, quâ arte verborum miracula sua fecerit, sitne Johannes Baptista redivivus, an aliquis ex veteribus Prophetis &c. Quæsivit autem non studio discendi, sed animo calumniandi; non ut veritatis amator, sed ut subdolus tentator; non ut pietatem diceret ac resipisceret, si enim eo animo fuisset præditus, Johannem concionatorem aulicum, veritatis præconem & pœnitentiam doctorem non interfecisset, sed ut curiositat suæ satisfaceret. Jamdiu consilia agitaverat de Christo interficiendo, ut colligitur ex Luc. 13. vers. 32. ideo facile cogitari potest, quale fuerit desiderium videndi Christum, quale gaudium de Christo sibi adductum & quales interrogatories ipsi propositæ. Bonum est gaudere viso Jesu, quia Jesus est fons omnis gaudii ac visio Jesus est omnium electorum gloria, sed gaudium Herodis de viso Jesu non procedit ex desiderio Spiritus, sed ex curiositate carnis. Conversatus erat Christus in Galilæa Herodis ditione, aliquot annis, quām etiam prædicatione suâ & famâ miraculorum totam repleverat, sed Herodes nunquam hactenus eum viderat, nec ad se vocaverat, procul dubio quia male sibi conscius metuebat ne à Christo propter incestum & injūtam Johannis cædem reprehenderetur. Jam vero cum Christus de gravissimis criminibus accusatus, vinculis constrictus, ac morti adjudicatus ipsi adduceretur, cupidè eum vidit & de multis interrogavit. Desideravit igitur videre Christum non sancto quadam fidei desiderio, quale fuit Patriarcharum, Regum ac Prophetarum in Veter. Testam. Luc. 10. vers. 24. Johann. 8. vers. 56. sed carnali affectu ac novitatis studio, neque enim antea obstruxus ipso fuerat aditus Christum docentem audiendi & miracula ejus videndi, quam occasionem discendi supinè neglexerat, hic autem viso Jesu impensè lætatur, non modo propter honorem sibi à Pilato hac in re habitum, sed cum primis quia sperabat curiosis suis questionibus à Christo respondum iri, seque miraculum aliquod à Christo visum, quod oculos pasceret & oblectaret, qualia Johannes coram ipso non ediderat Joh. 10. vers. 41. Repræsentat igitur Herodes ingenium illorum politicorum, quibus religio & studium pietatis non est cordi, sed id solummodo quærunt, ut nova, inusitata & abstrusa cognoscant, quæ ad salutem obtinendam nihil quicquam faciunt. Similes etiam sunt Herodi, qui sacras literas legunt, non ut viam salutis ex illis discant, sed ut curiositatem ingenii sui expleant; qui controversias Theologicas & scripta utriusq; partis evolvunt, non ut veritatem inveniant, sed ut vulnera Ecclesiæ rideant: qui carnis libertatem in doctrina Evangelica quærunt, qui conciones audiunt, non ut ex illis emendentur, sed ut pruritus aurium satisfiat, qui audiunt non amore veritatis, sed studio novitatis, ideoque vocem

Spiritus sancti ac dicta Scripturæ in concionibus prolatæ somnolenter atque oscitantur audiunt, sed quando phalerata verba, jocosa dieteria, suaves Historiae, conficta Legenda &c. proferuntur, tunc demum attentis auribus auscultant, quales auditores erant Athenienses, qui ad nihil aliud vacabant, nisi audirent aliquid novi Actor. 17. vers. 21. Ad hanc classem referendi sunt etiam illi, qui non contenteruntur verbo in Propheticis & Apostolicis scriptis revealato nova miracula quærunt, ad quos rectè dicit Gerson in expos. pass. *Miracula præterita tibi sufficiunt, si ea credis: quod si ea non credis, neque profectò nunc illus fidem adhiberes, que vides & audires, inquit ea concremeres, calumnias afficeres ac reprobaries.* Idem enim præposterioris illis auditoribus contingere solet, quod Herodi contigit, qui nihil quicquam responsi à Christo accepit, ratione etiam illi non pervenient ad salvificam veritatis cognitionem & salutis in Christo possessionem. *Iesus nihil illi respondebat,* inquit Evangelista, non solum nullum edebat miraculum, sed nec ad interrogata quicquam respondebat. Ut doctrinam suam ad oblectandas solum aures audiri noluit, ita quoque miracula sua ad pascendos solum oculos & curiositatem explandam referri hoc ipso factò prohibuit. Memor præcepti sui Matth. 7. vers. 6. *nolite sanctum dare canibus, nec margaritas vestras projicere porcis,* responsum illi denegavit, quem crudelitas canem & carnis voluptates porcum fecerant, ac re ipsa ostendit, se non esse Salvatorem ac Magistrum illorum, hypocitarum, Epicuriorum, qui in manifestis delictis ac in cœno voluptatum instar porcorum voluntur, qui ludum ac jocum ducunt verbinarium, qui sine pœnitentia in sceleribus pergunt &c. proinde qui veritatem ex Christo audire & viam salutis cognoscere desiderat, animo discendi cupido audiat, in vero Dei timore quærat, pœnitentiam agat & à peccatis desistat. Miserat Deus Herodi Johannem pœnitentia præconem & justitiae doctorem, sed quia Herodes illum repudiavat & in gratiam meretriculæ interficerat, ideo dignam crudelitatem suæ poenam experitur nullam à Christo responsum audiens. Nec formari nec proferri potest verbum sine voce, sed Johannes erat vox Domini Esa. 40. v. 3. Matth. 3. vers. quem Herodes occiderat, Christus erat verbum Dei Joh. 1. v. 1. quid ergo mirum, quod Herodes verbum à Christo audire non fuerit dignus judicatus? Quidam putant, Christum ideo noluisse vel miraculum aliquod coram Herode facere, vel ad interrogata ejus respondere, ne liber ab ipso dimitteretur. Sed constabat Herodi jam ante de miraculis Christi in Galilæa editis, ideo apud crudeliam hypocritam parum profecisset Christus, si vel maximè curiositati ipsius novo quodam miraculo satisfecisset. Quomodo autem hoc silentium Christi fuit acceptum? Principes Sacerdotum & Scriptarum, qui cum Jesu ex prætorio ad aulam Herodis venerant, abutuntur eo ad colorem quendam accusationibus suis quærendum, quasi de criminibus intentatis convictus respondere ac se purgare nequeat, ideo accusant eum acriter, *et ior. 3. dicitur is, qui est boni habitus,* qui bonis ac firmis nervis est præditus, inde *éντονας intentis viribus, valide, vehementer,* apud Aristoph. in Plut. *Acriter & zelante-*

vehementer dixerat accusator, inquit Cic. pro Flacco, quod Græcus diceret, εὐσωτός. Quidam Codices legunt εὐσωτός intentē, acriter, summā contentionē ab εἰσένοι intendo, est enim utriusq; adverbii eadem significatio. Act. 18.v.28. Apollos εὐσωτός convincebatur Iudeos per Scripturas Iesum esse Christum, hoc est magnā contentionē omnique animi impetu disputabat contra Iudeos & publicē eos ex Scripturis convincebat. LXX. utuntur pro οὐστρεύοντες εὐσωτός intendebar sonum buccine, intentē clamabant. Syrus habet adverbium θαυματούγενος, vehementer, pertinaciter, impudenter ab θηρίῳ roborens fuit, prevaluit. Sensus igitur est, quod summi Sacerdotes summā impudentiā accusations suas repetiverint easq; summo conatu, intento clamore, continuè & pertinaciter urserint, metuentes scilicet, ne Herodes ob taciturnam modestiam & probitatem ex vultu Christi eluentem eum dimitteret liberum. Deprehensi erant coram Pilato in manifesto mendacio, defecerant in probatione, audierant publicum innocentiae testimonium à iudice fuisse reo datum, nec tamen desistebant ab accusatione, ita solent odium & invidia cum impunita esse conjuncta ac semel incitata crudelitas nescit consistere. Hac igitur ratione Pontifices silentio Christi ad accusationem suam stabilendam fuerunt abusi. Herodes silentium illud contemptum sū interpretatur, par pari igitur reponens vicissim, contemnit eum, à quo se contemptum existimat. Sprexit eum, ait Evangelista, cum suis exercitibus; cumque illusisset, indutum ueste splendida remisit ad Pilatum. Non passus est mendaciis & calumniis Pontificum se fomooveri, ut sententiam mortis in ipsum ferret aut durius quippiam in eum statueret, sed satis habuit contemnere eum, à quo se contemni judicialbat, εἰπεβεβιθεντον vel εἰπεβεβεντον est aspernari, pro nibilo ducere, nibili facere ab εἰδεῖς nullus q.d. εἴδε τοις per crasim. Crebro usurpatur in N.T. utpote Luc. 18.vers.9. Actor. 4.vers.11. Rom. 14.vers.3; &c. affine illi est verbum εἰπεβεντον & εἰπεβεντον ejusdem omnino significationis ab εἰδεῖς q.d. εἴδε τοις ne unus guidem. LXX. utuntur verbo εἰπεβεντον pro οὐσιονομίᾳ affectū, ex alto despexit, abjecit animo conculcandum, 1.Reg. 2.v.32. 2.Paral. 36.v.16. Proverb. 1.vers.7. Item pro οὐσιονομίᾳ cum fastidio quodam rem sive personam aliquam tanquam vilēm & contentam rejectit, 1.Reg. vers.7. Syrus habet verbum οὐσιονομίᾳ lufit, jocatus est, εἰπεβεντον additus deinde fuit εὐταύρος illusio, iudicatio. Herodes enim cum armato suo satellitio, quo stipatus erat, non solum contemnit, sed etiam illudit Christo, habet eum pro fatuo ac stolido, qui magna quidem de se jactitet, sed cum ad rem ventum est, nihil præstare possit, εὐταιχεῖς οὐσιονομίᾳ εἰπεβεντον εἴδητος, habetur in Græco, per quod innui videtur, in vestis illius inductione fuisse Christum ab Herode illusum. Sed verisimilius est, modis compluribus aliis hanc illusionem satellitibus regis fuisse peractam, ideoque dividim hanc esse accipienda, quod & illuserit, & vestem albam ei induerit, εὐταιχεῖς propriè est instar pueri aliquem trahere, iudicari & irridere. Syrus habet verbum οὐσιονομίᾳ irritare, illusio. LXX. utuntur Jud. 16.vers.28. de Simone à Philistais illuso, qui fuit typus Christi. 2.Pet. 3.vers.3. Judæ v. 18. vocantur εὐταιχεῖς, qui doctrinam de extremo iudicio instar fabulae ha-

bent ac falso irrident, talis εὐταιχεῖς est hoc loco Herodes, qui doctrinam Christi non solum repudiavit, sed etiam pro ludo & joco habet, ideo etiam Christum ut morionem tractat. Hanc sui illusionem prædixerat Christus Matth. 20.v.19. Marc. 10 v.34. Luc. 18.v.32. quam propter nos sustinere voluit. Per peccatum amilimus lucem sapientiæ in mente primorum parentum reluentis ac nostrā futilitati meriti sumus æternam illusionem & ignoratiā, sed Christus nostri loco illusus & semifatu loco habitus factus est nobis à Deo sapientia 1. Cor. 1.v.30. propter nos illudi & contemni sustinuit, ut ad cœlestem sapientiam & gloriam nos perduceret. 2.Reg. 2.vers.23. cùm pueri illuderent Eli-sæo dicentes, Calve, calve, irrisiōnis vindices carne pascunt ursos: potuisset Christus pari vel etiam graviori pœna irrisores suos visitare, sed propter nos illusiones illas sustinere & clypeo patientiæ ad informationem nostri se se contra illas munire voluit. Quod si & nos illudamur ac contemnamur, sicut Prophetis in mundo contigisse appareat, 2.Paralip. 36.v.16. cogitemus idem CHRISTO evenisse, ac τὸ μαρτυρὸν τῆς sapientiæ hominibus esse 1. Cor. 1.vers.25. Observetur verò non Herodem solum illusisse Christo sed etiam ipsius σπειρυματα exercitus h. e. stipatores, latrones ac satellites. Quidam putant Herodem adduxisse secum exercitum ex Galilæa, quod metuerit sibi à Pilato, cum quo inimicitias gerebat, sed convenientius est in genere, τὰ σπειρυματα accipere pro satellitibus aulicis, unde Syrus generaliter vertit ἡρόδης ministri. Comprehenduntur enim hoc nomine omnes Herodis aulici, videlicet proceres, qui honoris causâ ipsi aderant; satellites armati, qui custodiæ corporis erant praefecti; armatum latellitium, quo stipatus erat & ministri omnis generis, etiam vilissimi quiq; servuli, hi omnes illudente Rege statim illudunt & ipsi, in aulis enim regnat adulatio, quæ nomen ex eo sortita est, quod ad aulas præpere soleat, ac moribus Regis aulici se conformare consueverunt, utque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur. Herodes Johannem Baptistam primum cupidè audiēbat & Christum videre desiderabat, sperans doctrinā Johannis & miraculis Christi honorem quendam aulæ sue conciliatum iri. Sed cùm Johannes flagitia Regis argueret, in carcerem abducitur & in gratiam Herodiadis decollatur: cùm Christus responso eum judicaret indignum; nec praefigiatrii miraculis libidinem ipsius explore vellet, contemnit & illudit. Eadem fors concionatorum piorum ac fidelium in aulis plerisque esse solet, primum quidem cupidè audiuntur, sed si ve- lint aures Dynastum mordaci rodere verò ac detrent moribus aulicis se accommodare, conte-mnuntur ac irridentur. Solet enim contemnitus Christi & ministrorum ejus esse quasi proprii au- lii, siquidem quando in illis audiuntur diræ & execrationes, exercentur comedationes ac compotaciones, ministri verbi contemtui ac risui habentur, quid aliud agitur, quād quod Christus contemnitur atque illuditur? Atque hoc alterum est, quod Christo in aula Herodis obtigit videlicet substan- tia & illusio, huic contemtui & illusioni accessit tertio loco induitio uestis candide. Haec itidem spe- ctabat ad contemptum & illusionem Christi, proponitur enim in hoc vestitu omnibus deridens

& exhibandus velut Rex stultorum ac morio quidam aulicus, qui stolidissimā quadam insanitā Regis honorem affectarit, cū sit homo omnium abjectissimus. Vestis λαμπρὰ est splendida, preclara, magnifica & illustris. Quia verò Reges, Principes ac Dynasta in oriente vestes candidas gestare fuerunt soliti, ut colligitur ex Gen. 41. v. 42. Esth. 8. v. 15. ideo interpres vertit *vestem album*, significans splendorem & magnificentiam hujus vestis in albo colore fuisse sitam. Act. 10. v. 30. Angelus Domini venit ad Cornelium εἰς θήνη λαμπρῷ Latinus interpres iterum vertit in *veste candida*, quia Angeli solent εἰς λευκοῖς apparere Matth. 28. v. 3. Marc. 16. v. 5. Joh. 20. v. 12. Act. 1. v. 10. Sic Jac. 2. v. 2. εἰς θήνη λαμπρὰ vertit *candidam* mox v. 3. *preclaram*, quia color vestium albus magnatibus fuit in usu. Apoc. 15. v. 6. dicuntur ἐνδεδυμένοι λιὸν καθάρον καὶ λαμπτόν, atq; Apoc. 19. v. 7. περιέλαμψεν βύστον καθάρον καὶ λαμπτόν qui Apoc. 19. v. 14. dicuntur ἐνδεδυμένοι βύστον λευκὸν καὶ καθάρον, ex quo intelligitur λαμπτόν in vestitu esse λευκὸν. Apoc. 22. v. 1. fluvius aquæ vivæ in coelesti Hierosolyma dicitur λαμπτός ἡς κρύσταλλος, jam vero notum est & aquæ & crystalli colorem ad album accedere. v. 16. stella matutina dicitur εἰς θήνη λαμπτόν, Jam verò Lucifer fulgente, quadam albedine fese oculis nostris conspicendum exhibit, ut enim tenebris nigredo, ita contrà luci albedo tribui solet. λαμπτόν φάσμα λειλίον dicitur Illiad. β. σελήνην λαμπτόν vocat Thucyd. lib. 7. Hist. Apud Hippoc. in lib. de diata in morbis acutis de eodem usurpatur λαμπτόν, λευκὸν & λαμπτόν. Syrus vero hoc loco alterius vertisse quibusdam videtur, induit eum vestibus νηρωτόν coccineis, ut Tremel. reddidit, νηρωτόν enim illis est coccineum à pulcritudine, inde εἰς θήνη ποιεῖν Matth. 27. v. 28. Syrus hac voce reddidit. Sed quia radix γάρ in genere significat splenduit, clarus fuit, resplendit, ideo etiam rectè verti potest per vestitum splendentem, jam vero splendor vestium non solum in coccineo sive purpureo, sed vel maximè in albo vestitu conspicitur, ac γάρ splendor tribuitur vestibus, in quibus Christus in sua transfiguratione conspectus est Marc. 9. v. 3. de quibus expresse ibidem dicitur, quod fuerint *ιπεδόν λευκά ως χιών* candida velut nix, *qualia fullo non potest super terram candida facere*. Luna apud Chaldaeos dicitur Νηρωτόν Lucifer apud Arabes νηρωτόν à splendore, quem ad albedinem in his astris devergere oculorum conspectus ostendit. Rectè igitur Interpres Latinus vertit εἰς θήνη λαμπρὰν *vestem album*. Quia vero in præcedentibus dixit Evangelista, Herodem illufisse Christo, ex eo facile intelligitur, hanc vestis candidæ induitionem non ad honorem & dignitatem, sed ad irrisiōnem atque ignominiam Christi spectasse, proinde non fuit vestis nova, elegans & nitida, sed verus, detrita & contemta ex pulvere & à blattis eruta, quam fortassis Herodes ipse olim gestaverat. Induuit igitur, vel ut Græcus textus significanter dicit, *injicium* Christo hanc togam candidam vetustate detritam & abjectam, ut illudant ipsi, quod fatuā quadam simplicitate, Regis titulum & dignitatem affectarit, nam color vestium albus non solum apud Persas & Ægyptios, sed etiam apud Romanos Regie dignitatis insigne fuit. Regum diademata fuisse alba nota Casaubonus ad librum primum Suetonii cap. 79. ideo in Pompejofascie creata & candida sermonibus

occasionem præbuerunt, quasi regnum affectaret, ac togā candidā apud Romanos utebantur, qui Magistratum ambiebant. Cogitari etiam potest, vel item candidam fuisse Christo ab Herode datum, propter affectatum honorem summi Sacerdotii. Procul dubio inter capita accusationis coram Herode religionis professione Judæo etiam hoc usurpunt Pontifices, quod Christus acriter taxando corruptelas doctrinæ & vitam pessimam Sacerdotum, in ordinem Ecclesiasticum injuriis fuerit ac sibi per applausum populi ad dignitatem Pontificiam aditum parare voluerit. Herodes igitur propter Regis & Pontificis dignitatem stolidè affectatam, veste coloris regii & Sacerdotalis ipsum induit, sed detritā & obsoletā, ut hoc pacto illius fatuitati (ita namque id interpretabatur) illuderet. Notum est in ornatu Sacerdotali fuisse etiam vestem candidam, videlicet tunicam strictam ex byssō Exod. 28. v. 39. erat præterea vestis alba etiam apud gentes Sacerdotii insigne & cū sacrificiis operabantur, tam Sacerdos, quā ille qui sacrificium exhibebat, erant albī induti. Sic Athēnis Prytanei sacra faciebant λευκῶν μονάχος καὶ εὐφαναμένοι eodemque habitu Curiam ingrediebantur, an litassent renuntiari, ut ex Plutarcho & Theophrasto ostendit Casaubonus exercit. 16. ad annal. Baron. cap. 73. proinde non improbabiliter dicitur, etiam Sacerdotali dignitati Christi hac veste ab Herodianis fuisse illusum. Denique quia morti adjudicatis vates atræ ac pullæ dari confueverunt, color verò albus signum absolutionis fuit, sicut Poeta canit. lib. 15. metamorph.

*Mos erat antiquis niveis atrisque lapillis,  
His damnare reos, illis absolvere culpa.*

Josephus etiam l. 14. antiq. cap. 17. & lib. 16. c. 14 refert apud Judæos eam viguisse consuetudinem, ut alicuius criminis reus judicio postulatus atratum cisteret, ideo Herodes hac veste candidā Christo induitā significare voluit, fatuitem hujus rei honoris Regium ac Sacerdotalem affectantem magis contempnendam & irridendam, quā capitali supplicio vindicandam esse, ita namque ipse Pilatus hunc vestitum interpretatur, quod sit signum innocentiae & absolutionis. Luc. 23. v. 15. Remisit vos ad Herodem cum hoc vestro reo, sed ecce nihil dignum morte factum est ei. Neque vero hunc contumum, irrisiōnem & subsannationem Christi Herodes tulit inultam, sed contemnens Christum contumus est tandem etiam ipse, juxta effatum divinum 1. Sam. 2. v. 30. *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eam: qui autem contemnunt me, vilipendentur.* Cū enim non esset contentus dignitate Terrachia, sed Romanum magno apparatu profectus dignitatem Regiam à Cajo Cælare peteret, pro summo honore lummam reportavit ignominiam, accusatus enim coram Cæsare propter crimina gravissima, cum primis vero ob defectionem ab Imperio Romano, privatus est suā tetrarchiā ac cum sua Herodiade in perpetuum exilium relegatus dignas incepit, crudelitatis ac illusionis Christi poenas dedit, telle Josepho lib. 18. antiquit. Judaic. c. 9. (in al. edit. est. 14.) lib. 2. de bello Judaico cap. 8. Euseb. l. 2. Hist. Eccles. cap. 4. Niceph. l. 2. Hist. Eccles. cap. 9. Factum id anno Christi 39. h. e. quinquennio post

post hanc illusionem Christi. Talis tandem poena  
empactas ac irrisores illos — ut appellantur  
Psalm. 1. v. 1. consequi justissimo Dei iudicio consuevit. Quamvis verò Herodes ad contemtum & il-  
lusionem ueste illâ candidâ Christum indui voluerit, divinâ tamen providentia honor & dignitas ejus-  
dem hoc insigni fuit manifestata, siquidem uestis il-  
la symbolum est. 1. Regii offici Christo verè com-  
petentis. Vestitus candidus fuit insigne dignitatis  
regiae, ut paulò superius ostendimus, incedit igitur  
Christus in habitu regio ipso passionis tempore,  
mox videbimus eum coronatum ad locum crucis  
procedere, quia passionem ac mortem suam ideo  
sustinuit, ut ex regno Satanae in suum regnum nos  
transferreret & esset Rex noster. Propter peccatum,  
redacti sumus sub potestatem ac dominium Saranae,  
Christo igitur pro peccatis nostris latisfaciendum  
plenè fuit per passionem ac mortem, ut ex regno  
Satanæ translatos nos sibi assiceret ut regni sui ci-  
ves ac subditos. 2. Sacerdotalis dignitatis in N. T.  
unice Christo convenientis. Sacerdotes V. T. in or-  
natu suo gestabat etiam tunicam byssinam & ve-  
stem lineam, ut igitur publico documento manife-  
stum fieret CHRISTUM esse unicum N. T. sum-  
mum Sacerdotem, cuius typi fuerunt Pontifices V.  
T. ideo Christus candida ueste induitus fuit, cum  
Caiaphas Sacerdotalem uestem paulò ante scidisset  
in signum Sacerdotii à Synagoga auferendi. Quan-  
do summus Sacerdos V. T. sanctuarium ingressurus  
& sacrificia oblaturus erat, indebatur albis Ponti-  
ficalibus, quia igitur Christus seipsum Patri celesti vi-  
timam in odorem suavitatis brevi oblaturus erat Ephes.  
5. v. 1. ideo uestibus albis hic induitur velut Rex &  
Sacerdos noster, sicut hæc duo encembia pulcherrimè  
conjunguntur Zach. 6. v. 13. ipse gestabit decorem, &  
sedebit & dominabitur super solio suo & erit Sacerdos su-  
per solio & consilium pacis erit inter hec duo. 3. inno-  
centiae & puritatis in Christo resurgentis. Non  
est passus Christus propter sua facinora, ideo pul-  
lis & atris uestibus indui noluit, sed propter no-  
stra peccata; quæ, cum esset innocentissimus, ab  
omni labore peccati immunis, expianda in sece suscep-  
rat, in cuius innocentiae ac puritatis signum ve-  
stis candida ipsi datur. *Hec uestis alba*, scribit Ambros.  
in h. *immaculata a passionis inditia tribuit, cum ipse sine*  
*maculatori mundi peccata super se portavit.* Matth.  
17. vers. 2. Marc. 9. vers. 3. in transfiguratione uesti-  
menta eius apparent candida velut nix Apoc. 20. vers. 11  
infeder throno candido in signum puritatis, gloriae  
ac felicitatis. *Dilectus meus candidus & rubicundus*  
eminens inter decem millia, inquit Sponsa Christi  
Cant. 5. vers. 10. candidus propter innocentiam,  
rubicundus propter sanguinis cruentationem:  
candidus actione, rubicundus sanguine. Oculi eius  
rubicundiores vino, & dentes eius latte candidiores,  
Genet. 49. vers. 12. rubor oculorum denotat passionem,  
dentum candor puritatem, quia non est inveniens dolus in ore eius Esa. 53. v. 9. 1. Petr. 2. vers. 22.  
4. dignitatis & gloria nobis parta. Ut uestis can-  
didus fuit insigne regii & Sacerdotalis officii, sic Christus suâ passione fecit nos coram Deo Reges ac Sacer-  
dotes Apoc. 1. v. 6. Qui Magistratum affectabant, togâ  
candidâ induebantur, unde *Candidati dicebantur*, Christus itidem est *Candidatus regni cœlestis*, affectabat regnum, non terrenum sed cœlestis, affectabat illud, non sibi, sed nobis, quod affectavit,

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

consecutus est & regnum cœleste suo sanguine no-  
bis mercatus est. Illusus & contemnus est propter  
nos in ueste candida, hoc contemtu ipsius parta est  
nobis magna dignitas, ut in conspectu Dei & Ange-  
lorum simus preciosi. Propter nos ueste candida  
in passione suâ indui voluit, ut indui uestimentis  
albis coram throno Dei in æterna felicitate ac glo-  
ria olim comparere possimus Ap. 3. v. 4. 5. 18. c. 7.  
v. 9. & 13. intermixti choro viginti quatuor senio-  
rum uestimentis albis circumambulorum, coronis aureis  
decoratorum & viventem in secula æternis laudi-  
bus extollentium Ap. 4. v. 4. & 10. c. 5. & 13. In Christi  
resurrectione & ascensione Angeli apparent uesti-  
bus candidis & fulgentibus amicti Matth. 28. v. 3.  
Act. 1. v. 10. &c. quare cum Christus passione suâ be-  
atissimam Angelorum societatem nobis promer-  
uerit, ut futuri olim simus *ἰστι γέλος*: Matt. 22. 30. id-  
eò in medio passionis Historia uestitu candido in-  
dui voluit. Naturæ gestamus omnes sordidam car-  
nis tunicam, Judæ v. 23. sed Christus abluit nos suo  
sanguine & uestem candidam innocentiae, justitiae &  
felicitatis æternæ nobis promeruit, cuius rei pulcer-  
rimus typus proponitur Zach. 3. v. 3. ubi Joshua sacer-  
dos statante faciem Angeli, h.e. Christi, induitus uesti-  
bus sordidis, sed Christus v. 4. jubet auferre ab eo  
vestimenta sordida, & dicit ad eum: *Ecce abstatli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* Et quia in  
prætorio Pilati paulò post purpurea ueste Christus  
induitur, inde colligit Glossa ordinaria ex Beda in  
Luc. duplex Martyrii genus hac duplice ueste signi-  
ficari, quod Christus vernans ille *flousculus in pace gi-*  
*gnat lilia candentia, in bello rosas purpureas.* Fausti  
dies olim notabantur albis lapillis: nos de die passi-  
onis Dominicæ rectius dicere possumus, quod sit *ni-*  
*veis signanda lapillis*, quia attulit nobis absolutionem  
à peccatis. Hæc omnia piè & utiliter cogitari pos-  
sunt, quando Christum indutum ueste candidâ in-  
aula Herodis intuemur. Porro Herodes illum eo  
modo tractatum & ornatum *ωνέψει* & remisit ad Pi-  
latum, non absolvit innocentem nec condemnavit  
capitis accusatum, sed vincitum & ligatum  
ad tribunal prioris judicis eum remisit contentus  
honore eo, quem in præsentatione captivi Galilæi  
fibi à Pilato habitum esse judicabat, nolens interim  
absolvere eum, cuius innocentiam cognoverat, ne  
Judæorum odia incurreret. Ita norunt vafri poli-  
tici causas odiosas à se in aliorum humeros transferre,  
Christo interim in membris suis patiente & inno-  
centi patrocinio miserè ab omnibus destituta.  
Laçtant. libr. 4. inst. divin. cap. 18. addit. *Herodem*  
*instigasse Pilatum, ut Christum crucifigeret, qui a meue-*  
*rit ne regno pelleretur.*

4. Consequens hujus abductionis. Pilatus & Herodes  
facti sunt inter se se amici in eodem die, h.e. redierunt in  
gratiam invicem, antea enim *ἐχθροί* simultas vel  
aperta inimicitia inter eos intercesserat, cuius  
causas exposuimus superius. *Conveniunt duo lupi*  
*ad rapiendam unam ovem*, ait Gerson in expol. Pass.  
Pilatus vendicaverat sibi jurisdictionem Herodis  
in seditiones quosdam Galilæos graviter animad-  
vertens Luc. 13. vers. 1. Sed cum hoc loco captivum  
quendam Galilæum Herodis iudicio silit, re ipsa o-  
stendit, se nolle imposterum ea, quæ ad jurisdictionem  
Herodis pertinent, si divindicare Herodes igitur  
tur similitatem pristinam non solum deponit, sed  
enī vicissim honorem exhibet ei, à quo honoratus  
erat,



erat, captivum Galilaeum in Iudea accusatum & comprehensum ipsi iterum sistendo, hac occasione extinctis odiis animi invicem coalescunt. Laudabile est, si quis alterum honore preuenire studeat Rom. 12 v. 10. praeclarum est, si quis pacem conciliare querat, sed maledicta est amicitia illa, quæ contra Christum initur, ac detestandus est honor ille, qui in Christo persequendo alteri defertur. Conqueruntur de hac Pilati & Herodis contra Christum conspiratione Apostoli Act. 4. v. 17. Convenerunt revera adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxiisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populus Israel &c. eodemque applicant vaticinium Psalm. 2. v. 1. Quare tremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, astiterunt Reges terre, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Erant alias Herodes & Pilatus in causa religionis maximè discrepantes, siquidem Herodes superstitionibus Iudaicis, Pilatus ethnicis idolomanis addictus erat, sed cum de Christi capite ageretur, fuit concordes & unanimi consensu ipsum persequuntur. Eadem fabula mutatis salteti personis in mundo perpetuo fuit acta. Edomita cum Cananæis conspirabant contra Israelitas, ac nefandum illud concordia vinculum in occidendo Christo inter Herodem ac Pilatum constrictum quasi hæreditario jure ipsorum posteri acceperunt, quando Iudei & gentiles, licet genere, religione ac moribus differentes, in Christianis tamen persequendis & CHRISTI nomine extinguendo mutuas sibi tradiderunt operas. Quid hodie quan-

doque fiat, notius est, quām ut commēmorari debat, manifestius quām ut explicari indiget, turpis quām ut excusari possit. Potest etiam cogitari pertinere hoc ipsum ad contemtum Christi, quōd Herodes judicium de Christo velut homine abjectissimo & contemptissimo honoris causa à Pilato sibi oblatum acceptare noluerit, ita namque Christus & vera ipsius membra pro purgamentis mundi ac pro quis quilibet haberi solent 1. Corinth. 4. v. 13. qui non sunt digni, propter quos multum laboretur, cum pro latronibus & facinorosis magnā quandoque contentione Judices seculi invicem depugnant. Aliam vero pacem & concordiam inter nos conciliare debet Christus & doctrina Christi, quām est ea, quā inter Pilatum & Herodem in ipsis causa est inita, nimirum ut per fidem in Christum Deo reconciliati pacem cum proximo colamus ac multis officiis nos invicem juvemus, sicut veteres statuant hac Herodis Iudei & Pilati gentilis per Christum reconciliatione significatum, quōd ipse sit Pax nostra, qui fecit utram, unum, medium parietem maceris solvens, inimicitiam in carne sua, legem scil. mandatorum in decretis evançans, ut duos condent in semetipso in uno novo homine faciens pacem, ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem interficiens inimicitiam in semetipso, & veniens evangelizavit pacem 2. Ephes. 2. v. 14. & seqq. quā omnia latius diduci possunt, Luc. 13. ver. 32. Matth. 23. v. 36.

Dum vulpi gallina datur, (minabile!) rictum,  
Comprimit illa. Tuos sic Deus alme tegi.

## CAPUT CXCIII.

### CHRISTUS CUM BARRABA CONFERTUR, SED ILLI A JUDEIS PRÆFERTUR.

MATTH. 27. v. 15. MARC. 15. v. 6. LUC. 23. v. 13.  
JOHANN. 18. v. 39.

### RATIO ORDINIS.

**J**ohannes consilium Pilati de conferendo Christo cum Barraba & alterutrius liberationem petendi potestate plebi Iudaicæ concedendā immidiatae conjugit cum publico innocentia testimoniio, quōd audita Christi confessione ipsi dederat. Sed ex Luca intelligitur inferendam esse Historiam abductionis ad Herodem, quā viā speravit Pilatus se liberatum iri ab homine, cuius innocentiam probè quidem perspexerat, sed virtus Iudeorum odia patrocinium ipsius suscipere eundemque absolvere nolebat. Cum vero videret Christum ad prætorium reduci, de aliis mediis cogitat, quibus elabi possit, ne vel innocentem sanguinem vel procerum Iudaicorum gratiam effundere cogatur. Nullam, inquit, invenio causam mortis in homine, castigatum igitur illum dimittam Luc. 23. v. 16. Solebant Romani illos, qui deliquerant quippiam, quod non erat morte dignum, virginis

cädere ac castigare, cogitat ergo Pilatus, si vel maximè hic reus non est promeritus hanc caliginem, tamen cupio hac in re gratificari Iudeis ad leendum ipsum furorem, satius enim est innocentem flagellare, quām mortis poenam eidem rogare. Cum vero vel à populo admonitus vel sua sponte pristinæ consuetudinis recordatus die festo Paschatos maleficum quendam poenam capit, promeritum liberum dimittendum esse intelligere, mutat prius de flagellando Christo consilium, & cum impurissimo ac sceleratissimo latrone Barraba ipsum populo sistere cogitat, eademque optionem dare, utrum ex his liberum sibi dari velint, firmiter enim sibi persuadet, Iudeos non progressuros eō impientias atque impudentias, ut Barrabam pestem illam ac perniciem Reipubl. Jesu Nazareno miraculis claro & beneficiis in ægrotos collaris conspicuo præferrent, sed fallitur opinione sua, ut series Historia porrò ostenderet.

CHRI-